

Τὸ δε φῶς ὅτι ὑπερβαλλόντως καλόν, τοσοῦτον γὰρ τὸ νοητὸν τοῦ ὁρατοῦ λαμπρότερον τε καὶ αὐγοειδέσερον: ὅσπερ ὁ ἥλιος οἶμαι σκότους, καὶ ἡμέρα νυκτός, καὶ τῶν αἰθητικῶν κριτηρίων ὁ νοῦς, ὁ τῆς ὅλης ψυχῆς ἡγεμῶν, καὶ οφθαλμοὶ σώματος. τὸν δ' ἄορατον, καὶ νοητὸν λόγον, καὶ θεοῦ λόγον, εἰκόνα λέγει θεοῦ. καὶ ταυτὴς εἰκόνα τὸ νοητὸν φῶς ἐκεῖνο ὁ θεοῦ λόγου γέγονεν εἰκὼν, τοῦ δημιουργοῦ γησαντος τὴν γένεσιν αὐτοῦ. καὶ ἐστὶν ὑπερουράνιος ἀστὴρ πηγὴ τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων. ἦν οὐκ ἀπὸ σκοποῦ καλέσειεν ἂν τίς ἀναυγείαν. ἀφ' ἧστο ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη, καὶ οἱ ἄλλοι πλάνητες τε καὶ ἀπλανεῖς ἀρύνονται, καθ' ὅσον ἐκάστω δίηραμις τα πρεποντα φέγγη τῆς ἀμιγῶς, καὶ καθαρῶς ἐκείνης ἀυγῆς ἀμαυρουμένης, ὃ ἀν ἄρξεται τρέπεσθαι κατὰ τὴν ἕκ τοῦ νοητοῦ, πρὸς αἰθητον μεταβολὴν εἰλικρινές γὰρ οὐδεν τῶν ἐν αἰσθήσει.

“Lumen vero, quia supramodum pulcrum est. Tanto enim intelligibile lumen, visibili est, splendidius ac radiantius, quanto ut quidem puto, Sol tenebris, et dies nocte; et totius animæ dux mens, sensuum in dicatoriis, et oculi corpore. Invisibile autem et intelligibile divinum verbum, ac Dei verbum imaginem Dei appellat; et huius imaginis imaginem intelligibile illud lumen quod divini verbi factum est imago. Quod verbum opifex generationis eius fuit. Et est supercæleste sidus, fons sensibilibus siderum. Quam non procul a scopo appellaverit quispiam Panaugiam. A qua Sol, et Luna, et reliqui planetæ, et inerrantes, hauriunt quantum cuique virium est, congruentes sibi fulgores. In commisto illo, et puro radio, tunc obscorescente, cum cœperit per mutationem ab intelligibili, in sensibile verti. Sincerum namque nihil est eorum, quæ sub sensum cadunt.”

In quibus summi viri verbis, illa sunt notatu dignissima. Quod divinum verbum, et Dei verbum, vocat Dei imaginem; et huius verbi rursus imaginem lumen ipsum intelligibile. Cuius luminis opifex fuerit ipsum verbum. In hoc tantum differt Philo a Platonis Auditore. Quod hic ipsum verbum esse lucem infinitam dicat, Philo vero, verbi imaginem esse lumen.

Hoc tale lumen a luce verbi Dei emicans nomine vocat appositissimo Panaugiam; quasi omniluculentiam. Eo quod fons sit omnium lucium cœlestium, et inferioris mundi luminum, a cœlestibus effusorum. A quo nomine, nos qui de universitate tota lucium ac luminum disputamus, hisce libris Panaugiæ nomen dedimus.

Ante Philonem, et ante Platonem, eiusque auditorem, Hermes Trismegistus, videtur in eandem de his rebus sententiam philosophatus. Namque in Poemandro, ait.

Καὶ ὁρῶ θεῶν ἀόριστον, φῶς δὲ πάντα γεγεννημένα, ἠδιδιοντε καὶ ἰλαρὸν.

“Et cerno spectaculum immensum, lumenque omnia facta, suave, et hilare.” et mox.

Ἐκ δὲ φωτός τις λογος ἅγιος ἐπέβη τῇ φύσει καὶ πῦρ ἄκρατον ἐξεπήδησεν ἕκ τῆς υγρᾶς φυσσεως ἄνω εἰς ὕψος.

“Ex lumine autem verbum quoddam sanctum incubuit naturæ: et ignis purissimus exiliit ex humida natura sursum in sublime.”

Quibus statim annectit:

Τὸ φῶς ἐκεῖνο, ἔφη, ἐγὼ εἰμί νοῦς, ὁ σοὺς θεός, ὁ πρὸ φύσεως ὑγρᾶς τῆς ἕκ σκότου φανείσης. Ὅδ' ἕκ νοός φωτεινὸς λόγος φός θεοῦ.

“Lumen autem illud, inquit, Mens Deus tuus; qui ante naturam humidam, quæ ex tenebris apparuit. Verbum vero fulgens, quod ex mente, Dei Filius.”

Ex quibus omnibus, per totum fere concordibus, concludamus, lumina omnia inferioris mundi, esse a cœlesti luce. Hanc esse, ex Zoroastri sententia, ab Empyreo, ex Philone a Panaugia.